



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Liutprandi Ticinensis Diaconi Opusculum, De Vitis  
Romanorum Pontificum**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Moguntiae, 1602**

LXXII. Honorivs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

A.DCXXVI.

**H**ONORIVS, natione Campanus, ex patre Petronio Consule, sedit annos 12. menses 11. dies 18. Hic clerū erudiuit. Hic de ordinationib. Episcoporum minimè differēdis ita dicit. \*Placuit, ut quisque Metropolitanus si ultra tres menses consecrationis suae ad fidē suā exponēdā, palliumq. suscipiendū ad Apostolicā sedem non miserit commissa sibi careat dignitate, sit licentia Metropolitanis aliis post secundā & tertiā commotionē viduatis Ecclesiis cū consilio Romani Pontificis ordinando Episcopū subuenire. Si verò consecrādi Episcopi negligētia prouenerit, ut ultra tres menses Ecclesia viduata consistat, communionē priuetur, quousq. aut loco cedat, aut se cōsecrāndū praeberē non differat. Quod si ultra quinq. menses p. suam negligentiā retinuerit viduatam Ecclesiam, neq. ibi, neq. alibi consecrationis donū percipiat, imò Metropolitanus sui iudicio cedat. Atē, quicumq. sanè Metropolitanorū p. plateas, vel in Letaniis uti pallio praesumpserit, & non tantū in praecipuis festiuitatibus, & Apostolica sede indictis tēporibus ad Missarū solummodo sollemnia permissa, qua abutitur, careat dignitate: quoniā iure priuilegiū meretur amittere, q. audacter vsurpat illicita. **ITEM**, Episcopos verò, q. percutere, detrūcare, vel cōtra canonicā auctoritatē infamare, aut propriis rebus absq. legali iudicio exspoliare praesumpserit, sibi eos à commissis Ecclesiis insequendo expellere, communionē priuetur. Si verò bis vel ter cōuentus, ei in quem deliquisse dignoscitur, emendādo non satisfecerit, anathematis vinculis innodetur. **ITEM**. Si quis domū Dei violauerit, & aliqua sine licentia illius, cui commissa dinoscūtur inde abstulerit, vel Ecclesiasticis personis iniuriā fecerit, donec cōuentus & admonitus legitimè satisfaciāt, sciat se à communionē priuatū. Si verò post secundā & tertiā conuentionē corā Episcopo satisfacere detrectauerit, sacrilegiū periculo ab omnib. obnoxius teneatur. Quicumq. sanctimonialē, siue quācumq. feminam in matrimoniū vel concubinātū rapuerit, donec eā coram Episcopo ciuitatis parētibus, vel ciuib. restituat, cū omnibus fautoribus suis excommunicatū se esse cognoscat. Si verò post secundā & tertiā conuentionē, quam rapuit sub satisfactiōne congrua nō reddiderit, tanquā anathematizatus ab omni Christianorū consortio repellatur. Raptas .n. nec immeritò, dicimus, quae sine consensu parētū, vel ciuitatis Episcopi, aut ipse vltro diffugiūt, aut nolētes ab aliis abducuntur. Si quis homicidiū membrorū trūcatione, domorū incendia fecerit, aut fieri iusserit, aut facienti consenserit, quousq. de his legaliter, vel amicabiliter corā Episcopo ciuitatis, alijsq. ciuib. non emendauerit, ab Ecclesia priuatū se esse agnoscat. Si ergo post secundam & tertiā conuentionem cuncta, in quibus arguitur non emendauerit, tanquā Ethnicus & publicanus ab omni Christianorū Collegio separetur. Porro de his, qui depredationes fecerint, aut facere iusserint, vel facienti consenserint instituiimus, ut si ab Episcopo ciuitatis admoniti minimè

vimè respuerint, 40. dies pane & aqua contenti reliquis cibis & potibus sint  
 omnino priuati. Quod si hanc excommunicationem suspicati fuerint violasse,  
 satisfaciant Episcopo, quod illam non violauerint, sicq; demũ, si conuicti fuerint  
 hanc violasse, non solũ, quod vnicuique arguuntur fecisse emendent, sed et bis  
 aut ter commoniti, si se non correxerint, ab omni communione priuati sunt. Si  
 verò post secundam & tertiam commonitionem cuncta, in quibus arguuntur,  
 perfecte nõ emendauerint, anathematis sententia se nouerint obligatos. **ITEM**  
 Hi sanè, qui ante audientiam communicare tentauerint, donec per pœniten-  
 tiam reatum suum defleant, ad communionem nullo modo reducantur exce-  
 pto mortis urgente periculo. Qui verò excommunicato scienter communica-  
 uerit, vel communicauit, & amodò saltem in domo simul orauerit, atq; late-  
 bras defensionis, ne cominus ad satisfactionem perducatur præbuerit, donec  
 ab excommunicatore pœnitentiã suscipiat, corporis & sanguinis Domini com-  
 munionem se priuatum esse cognoscat. Quicunq; ergo intra anni spacium humi-  
 liter, siue publicè causam suam corã suis excommunicatoribus non peregerint,  
 ipsi sibi audientiæ aditum clausisse videantur. Quod si obstinato animo sine  
 communione defuncti fuerint, nos illorum causam iuxta B. Leonis prædeces-  
 soris nostri sententiam diuino iudicio reseruantes, quibus viuis non communi-  
 cauimus, mortuis communicare non possumus. **ITEM.** Cura sit omnibus Epi-  
 scopis excommunicatorum nomina omnino, tam vicinis Episcopis, quàm suis  
 parrochianis pariter indicare, eaque in celebri loco posita pro foribus Ecclesiæ  
 cunctis conuenientibus inculcare, quatenus in vtraq; diligentia & excommu-  
 nicatis ubiq; Ecclesiasticus aditus excludatur, & excusationis causa omnibus  
 auferatur. Si quis sanè venerabilium Episcoporum vel sacerdotum in hac re  
 distriktissime non vigilauerit, & in aliquo cohibuerit, quo minus Ecclesiasti-  
 ca seueritatis inuectio circa personas delinquentium conseruetur, donec co-  
 ram prouinciali Synodo satisfiat, à communione sciat se esse suspensum. Si  
 verò post tertiam conuentionem in sua negligentia manserit, canonico iudicio  
 subiacebit. **ILLOS** autem, qui pro diuersis suis excessibus se conueniendos lega-  
 liter timent, aliumque senioratum confugiunt, & ibi peiora prioribus operan-  
 tur, iubet vt à nemine suscipiantur, donec sub prioris Domini districtione sa-  
 tisfaciant cunctis, quibus deliquerant. Si verò prius suscepti fuerint, cum suo  
 susceptore communione priuentur. De illis autem qui prolationem sententiæ  
 subterfugere cupientes à matricularibus Ecclesiæ, vel baptismalibus se sub-  
 ducunt, statuit, vt hi, qui infra regionem positi à publicis Ecclesiarum  
 se conuentibus ultra tres dies Dominicis voluntariè prolationem sententiæ  
 subterfugiendo abstinent, donec sub satisfactione se emendandos astruant com-  
 munionem priuentur. **ITEM,** Administratores plane secularium dignitatũ, quos  
 ad Ecclesiarũ tuitionem, pupillorum & viduarũ protectionem, rapaciumq; re-  
 frenationem constitutos esse cognouimus, quotiens ab Episcopis, & Ecclesiasticis

*viris conuenti fuerint, eorum querimonias fideliter audiant, & secundū quod necessitas expetierit, absq̄ negligentia examinent, & diligenti studio emendēt. Quod si Dei timorem prae oculis non habentes negligere post secundā & tertiā commonitionē inuenti fuerint, omni se nouerint communionē vsq̄ ad condignam satisfactionē priuatos. I T E M. Qui presbyterū ordinare necessariū ducit, deputet eū Ecclesiā, in qua Domino seruiens iugiter perseueret. Hic ordinauit Episcopos 71. presbyteros 13. diaconos 11. Obiit .a. 4. Idus Oct.*

## LXXIII.

A. DCXXXVIII

## SEVERINVS.

**S** E V E R I N V S, natione Romanus, ex patre Abieno, sedit menses 2. dies 4. Hic ordinauit Episcopos 4. Obiit autem 4. Idus Octobr.

## LXXIV.

A. DCXXXIX.

## IOANNES. IV.

**I** O A N N E S, natione Dalmaticus, ex patre Venantio scholastico, sedit annum 1. menses 9. dies 18. Hic per Dalmatiam & Histriā multum pecuniæ misit ad redemptionem captiuorum. Hic ordinauit Episcopos 4. Defunctus est autem 4. Idus Octobr.

## LXXV.

A. DCXLII.

## THEODORVS.

**T** H E O D O R V S, natione Græcus, ex patre Theodoro Episcopo, de ciuitate Hierusalem, sedit annos 6. menses 5. dies 14. Hic ordinauit Episcopos 56. presbyteros 21. diaconos 4. Qui defunctus est pridie idus Maii.

## LXXVI.

A. DCXLIX.

## S. MARTINVS.

**M** A R T I N V S, de ciuitate Tudertina prouinciæ Tusciæ, sedit annos 6. mensem 1. dies 26. Hic 105. Episcopos in vrbe Roma congregauit, cum quibus condemnauit Theodorum quendā Episcopum Pharanitarum & Cyrum Alexandrinum, & Sergium Constantinopolitanum, & eius successores Pyrrhum & Paulum, qui nouitates contra immaculatam fidem pręsumperunt innectere. Et demum prædictus Papa quia hæreticis consentire noluit, ductus est